



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 39. Ex Libro de libero Arbitrio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

XXXV. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

§. XXXIX.

Ex Libro de libero Arbitrio.

E 5

XXXIX.

Sæcul. XVI. XXXIX.
A.C. 1567.

Quod voluntarie fit, etiam si necessitate fiat, libere tamen fit.

XL. In omnibus suis actibus peccator fervit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

§. XL.

Ex Libro de Justitia.

XLII. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ confors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

XLIII. In hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

XLIV. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio,